




ORTHOGRAPHIA STELLÆBVRGI
 GI EXTRA ARCEM VRANIÆ SITI.



ICHNOGRAPHIA STELLÆBVRGI.



I

STEL.

STELLÆBURGI EXPLICATIO.



Essi in ipsa principaliore Arcis domo Turres versus Austrum & Septentrionem constitutæ, cum suis appendicibus hinc inde extrantibus pro non paucis Instrumentis utut amplis isthic commodè disponendis sufficerent, tamen cum successivè certis de causis plura adhuc confieri curarem, quæ non satis competenter istis continerentur spaciis, ut unicuilibet suus usus sine alterius obstaculo constaret, postmodum circa Annum 1584. in colle quodam extra Arcem versus Meridiem 70. circiter passibus minoribus à vallo remoto Observatorium quoddam subterraneum Cryptis diversis è lido muro ab imo ad summum extructis confieri feci labore & sumptu non modico, partim ut in eo quædam ex præcipuis Instrumentis rutò & firmiter disponerem, nè ab ullis ventis quidpiam disturbarentur, atq; commodius usui inservirent, partim ut Studiosos meos, cum plures adessent à se invicem disjungerem, & quibusdam in ipsa Arce, quibusdam verò in hisce Cryptis observationes exequendas præmonstrarem, nè sibi invicem impedimento forent, aut observata priusquam vellem, inter se conferrent. Appellavi autem hoc Observatorium Danica lingua **Stjernburg** quod & Germanis ferè idem, **Latinæ Stellæburgum** sonat. Cuius formam & Orthographiam unâ cum sua Ichno-graphia hic vides. Quorum explicatio brevibus indicata hæc est. A. Portale ex Ionico opere compositum, per quod fit descensus in Cryptas huius Observatoriij, superius habens tres Leones Coronatos affabrè excisos, & hinc inde lapides Porphyrios, qui inscriptiones convenientes primo libro Epistolarum Astronomicarum, in eo loco, ubi de hoc Observatorio Cryptico agitur, insertas exhibent, quas nimis longum foret hic repetere. Posteriorem tamen quæ universalior est, mox dabimus. B. rotundum laquearium, sub quo hypocaustum, in quod undiq; è Cryptis ingressus patet. C. Crypta pro Armillis Aequatorii maioribus num. 14. delineatis. D. Crypta pro Quadrante magno volubili appellato num. 6. antea expresso. E. Crypta pro Armillis Zodiacalibus num. 11. expositis. F. Crypta pro magno Quadrato Geometrico Chalybeum interius Quadrantem continente, num. 7. signato. G. Crypta pro Sextante Quadraticubitali in suo fulcro & Globo con volubili qui numero 16. representatur. Hæc quoad Cryptas ipsas breviter indicata sint. Inscriptio autem, de qua dixi, ab alterâ parte Portalis versus Meridiem in lapide Porphyrio aureis literis insignita talis est:

D. O. M. POSTERITATI QVE SACRVM.

ASTRONOMIAM scientiarum omnium antiquissimam & præstantissimam diu quidem multumque cultam, nondum tamen satis solide constitutam, aut à mendis vindicatum animadvergens, & instauranda perficienda que varia cademq; exacta adinvenit construxitque organa, ad omnimodas celestium corporum observationes sufficientia, labore, diligentia, impendio que incredibili, que partim proxima eandem ob causam exædificata arce VRANIBURGO, partim hinc Cryptis ad constantiorem & oportuniorem usum disposuit, tibiq; O inclyta omni ævo succensura posteritas hunc thesaurum rarissimum & pretiosissimum commendans, dicans, consecrans, ut in æterni DEI, admiranda celestis machinæ opificis gloriam, artiq; divinæ propagationem, ac patriæ honorem, perpetuo conserves, nec vetustate, aliq; incommodo collebassere, aut aliorum transferrî, vel quocunq; modo violari sinas: si nihil aliud, auctoribus saltem uniuersi vindicem reverens oculum.

Qui ea cuncta in hac insula & inchoavit & absolvit, hoc monumento posito te rogat & obtestatur.

TYCHO BRAHE O. F.

HAVE QUI HÆC LEGIS FACISQVE, ET VALE.

Exterius in areâ huius capacitatis Stellæburgicæ columnæ lapideæ H. I. utrinq; ad Ortum & Occasum dispositæ, pro Regulis Ptolemæicis imponendis, quàm Armillis minoribus portatilibus, quando requiritur, sustinendis. K. L. N. O. Globi fulcris suis incumbentes, & dicta areâ nonnunquam dispositi, ut ijs Sextantes ad quemcunq; Stellarum situm collimandum reclinentur. M. Mensa lapideæ & rotunda, Quadranti portatili, & aliis minoribus instrumentis in ea, cum libuerit, constituendis, ut Observationibus commodè interserviant, destinata. Reliqua ocularus & intelligens considerator per se animadverte.

ICHNOGRAPHIÆ EXPOSITIO.

A Vestibulum quo per Gradus Observatorium subintratur. B. Hypocaustum quadratum. C. Crypta pro Armillis maximis Aequatorii. D. pro Quadrante Volubili. E. Pro Armillis Zodiacalibus. F. Pro Quadrante Chalybeo magno habente exterius Quadratum Geometricum etiam Chalybeum. G. Pro Sextante Quadraticubitali Globo suo con volubili imposito. H. H. Columnæ lapideæ ad occidentiam plagam dispositæ. I. I. Aliæ columnæ lapideæ Orientem versus locatæ. K. L. N. T. Globi fulcris Sextantibus Astronomicis extra positi. M. Mensa rotunda saxea. O. Lectus, in quo aliquando inter observandum mihi requiescere liceret, si forè continua ob nubium interventum non concedere serenitas. Q. Alius similis & amplior in eundem usum pro Studiosis. P. fornax. V. Mensa. S. initium subterranei meatus quem infra vallum atq; hortum in Arcem aliquando inq; laboratorium Pyronomicum deducere animus erat, inchoatus enim est; sed non absolutus. Exterior area cum sua Galleria habet in quolibet sui quadrati latere: quatuor Mundi plagas respiciēte pedes septuaginta. Diameter verò semicirculi medio loco intercepti est pedum viginti quatuor. In duobus autem Angulis huius quadratæ areæ versus Notapelioten & Notolybicum Thecæ quædam oportuna sunt, in quibus maius illud Instrumentum Semicirculare, quo distantia siderum ultra Quadrantē capiuntur, cuius delineatio non est inter alia Instrumenta exhibita: Sed post ea brevibus saltem indicata, tum quoq; Sextantes aliq; similiaq; Organa mobilia, quorum usus non semper requiritur, facta restâ conservabantur, quemadmodum etiam ad angulos Borrhapelioten. & Porolybicum quædam alia suo tempore disponere constitueram. Hæc breviter de structuris hisce Crypticis dicta sint. Quæ si omnia sigillatim explanare vellem, proluxa opus foret descriptione. Qualia insuper Carmina hinc inde eisdem Cryptis aureis literis assignavimus, idem liber primus Epistolarum exhibet: ut eadem hic revocare non sit operæ pretium.

Atq; hæc de ædificiis Astronomicis sic indicasse satis. Licet verò Insulam celebris Porthmi Danici, in qua hæc extruximus, hic apponere non fuerit animus, tamen quia æditi & seorsim constituti loci mentionem feci, & quoniam hæc ipsa Insula iam antea in quarto Tomo Theatri Urbium à Clar. viro Dno. Georgio Braun expressa est, licet non satis appositè incuria pictoris, idcirco eam hic paulò exactius exhibendam duxi. TQ.